

CORNELII TACITI

data, non in alia vilitate quam quae humo finguntur. quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argen-
tum in pretio habent formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscent atque eligunt: interiores simplicius et antiquius
5 permutatione mercium utuntur. pecuniam probant veterem 5
et diu notam, serratos bigatosque. argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilius usui est promisca ac vilia mercantibus.

6 Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum 10
colligitur. rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur: hastas vel ipsorum vocabulo frameas gerunt angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio 2 poscit, vel comminus vel eminus pugnant. et eques quidem scuto frameaque contentus est, pedites et missilia spargunt, 15 pluraque singuli, atque in immensum vibrant, nudi aut sagulo leves. nulla cultus iactatio: scuta tantum lectissimis 3 coloribus distinguunt. paucis loricae, vix uni alterive cassis aut galea. equi non forma, non velocitate conspicui. sed nec variare gyros in morem nostrum docentur: in rectum 20 aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe ut nemo 4 posterior sit. in universum aestimanti plus penes peditem roboris; eoque mixti proeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuven- 5 tute delectos ante aciem locant. definitur et numerus: 25 centeni ex singulis pagis sunt, idque ipsum inter suos vo- cantur, et quod primo numerus fuit, iam nomen et honor 6 est. acies per cuneos componitur. cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. corpora